

aggeres, urbemque ex hostium faucibus eripi potuisse, si equitatus, uti statutum fuerat, affuisset. Verum Dandulus optimè instituta consilia evertit, equitesque egressu prohibuit, ac juniores nonnullos, quos ætatis fervor, generosusque animi impetus in hostem ferebat, erumpere conantes, propria manu avertit; mirumque in modum exardescens, nulli neque ex Cypria nobilitate, neque ex Epirotis equitibus e mœnibus exitum permisit. Inde hostibus, coacto equitum agmine, haud difficile fuit, nostros diurna pugna, atque ingenti calore fessos aggredi, cunctisque subsidiis destitutos ingenti cæde afficer. Nam etsi Plovenius una cum Alberto Scoto, & Joanne Baptista Ariminensi, globo suorum facto, munitionem captam fortiter tutati diu, acriter ingruentibus Turcis obstituerunt, eorum multitudine potius, quam virtute victi, non sine ingentis fortitudinis laude cecidere: ex militibus septuaginta, centurionibusque aliquot desideratis, reliqui fere omnes saucii intra urbis mœnia cum Turcarum exuviis se recepere.

Hoc eventu & Turcæ, ne quid in posterum a repentinis eruptionibus timerent, ad firmiora præsidia munitionibus adhibenda incitati, & propugnatores ab omni spe extra mœnia quidquam tentandi depulsi sunt. Itaque nullo repugnante, propugnacula diruere, aggeres a nostris confectos, subducta humo, demoliri, quidquid indefesso opere nocte sarcire conabantur, die prosternere, cum & a tormentorum jaſtu tuti essent; nostri neque in muris consistere, neque ex aggeribus caput exerere possent, quin statim glandium procellis dejicentur. Verum ne penitus afflictis, ac prope perditis rebus decessent, Palatio Fanensi præfecto suadente, bini retracti aggeres in Podacataro, & Constantio propugnaculis instituuntur. Joannes Sozomenus in Davila, & Tripolitano receptus, nullo hosti spatio relicto, sibi delineandos sumpsit, qui confici nequaquam potuere. Turcæ ex ruinis tutos sibi gradus, quibus scanderent explicata acie, atque impetum in urbem facerent, confecerant: inde modo levioribus, modo gravioribus aggressionibus, si qua irrumpere possent, tentare; nunc unum, bina modo, quatuor quandoque propugnacula eodem tempore adoriri. Sed a propugnatoribus acriter dimicantibus semper repellebantur; subire conantes vario armorum genere,

1570
Dandulus
subsidia
suis impe-
dit.

Plovenius
& alii fre-
nue dimicæ-
tes occum-
bunt.